

omnes ejus memoria in benedictione permaneat, attamen ut ejus cultus magis magisque augeatur, nonnulli Emi. et Rmi. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, non minùs quam plures amplissimi Antistites, ac in primis Rmus. archiepiscopus Florentin. cum Rmo. P. Magistro generali ordinis Prædicatorum cuius institutum juvenis adhuc Sanctus Antoninus amplexus est, Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI Pontificem Maximum humillimis precibus instantissimè cflagitarunt, ut festum Sancti Antonini, episcopi confessoris, quod jam diu ab universalí Ecclesia cum officio et missa sub ritu semi-duplici instituitur, pro clero tum sacerdotali, tum regulari, non exclusis cujuscumque ordinis sanctimonialibus ad horas canonicas persolvendas adstrictis, ad ritum duplicitis minoris de speciali gratia elevare dignaretur. Enixis hujusmodi precibus a Sanctitate Sua peramanter exceptis, referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis secretario, decimo kalendas septembris superiori anno 1844 benignè annuit juxta petita, attamen pro Italia tantum et insulis adjacentibus.

Verùm quum idem Rmus. Florentin. archiepiscopus, cum nonnullis aliis etiam exterarum gentium præsulibus, et reliquorum ordinum moderatoribus, iterum supplicarit ut enunciatum Indultum Italiæ et insulis adjacentibus concessum ad universalem extendatur Ecclesiam, ac de mandato ejusdem Sanctitatis Suae, de novis hisce precibus actum fuerit in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis ad Quirinales ædes habitis octavo idus vertentis mensis et anni, Emi. et Rmi. Patres sacris tuendis ritibus præpositi, rescribendum censuerunt: *pro gratia ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.*

Super quibus omnibus facta iterum Sanctissimo Domino per me secretarium fideli ratione, ipsa Sanctitas Sua Rescriptum Sacra Congregationis auctoritate apostolica confir-